



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae**

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnium Tractatus II. De Opere Sex  
Diervm, Ac Tertivs De Anima

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1622**

VIII. An anima separata perfectius intelligat quàm coniuncta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)



*Verum magis naturale sit anima esse in corpore, quam extra corpus.*

tionata: sunt itaq; possibiles species mediæ inter angelicas, ac nostras, quæ proportionate sunt animæ separatae habenti statum medium inter angelos, & statum essendi in corpore: manet ergo probata conclusio; & solum fundamentum contrariæ sententiæ.

CAPVT VIII.

*Verum anima separata perfectius intelligat, quam coniuncta.*

**P**ostquam dictum est de cognitione animæ separatae, superest comparare modum cognoscendi illius, cum modo animæ coniunctæ, ut colligamus quis horum statuum sit melior. D. Th. supra respondit, licet modus cognoscendi animæ separatae secundum se sit melior, non tamen animæ, quia improporionatus. Itaq; videtur sententiæ animam coniunctam melius cognoscere. Ratio illius est, quia animæ vniuntur corporibus, ut perfectionem cognitionem rerum habere possint. Scot. in 4. dist. 45. q. 2. vult cognitionem quoque animæ coniunctæ esse perfectiorem, atque adeo cognitionem sine dependentia à phantasmate non esse simpliciter meliorem cognitione cum dependentia: sed ex dictis videtur aliter dicendum, & primo suppono contra Scotum cognitionem sine dependentia à corpore, & phantasmatibus perfectiorem esse, quam cum dependentia. Quod D. Thomas posuit, nec potest negari ab Scoto, quia illa cognitio est perfectior simplicitate, utpote Deo conueniens, & Angelis: quare si anima non congruit, non ideo est, quod non sit melior, sed quod anima minus capax sit illius, quemadmodum cognitio sine discursu perfectior est, quā cum discursu, licet anima non sit melior, quia illi impossibilis. Secundo suppono, dictam comparationem fieri absolute, vel etiam circa res determinatas.

**1.** Prima conclusio absolute loquendo, melius intelligit anima separata, quam coniuncta. Patet ex dictis, primo, quia intelligit se quidditativè, quod in corpore non præstat. Secundo concipit intelligentias proprias conceptibus, & non per negationes, quod non facit in corpore. Tertiò Deum melius cognoscit, quia cognoscit melius effectus illius, & meliores. Quarto, cum sit libera à corpore, aptior est ad intelligendum, & ad perseverandum in actibus intellectus, ut D. Th. ar. 2. ad 1. docet, & colligitur ex illo Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

**2.** Secunda conclusio. Comparando etiam cognitiones, melius intelligit anima separata res etiam materiales, quam coniuncta. Pro qua observa, in anima separata dari species materialium rerum, quas hic acquirit, dari etiam species infusas, utique per se: quæ namque infusæ sunt per accedens, neutiquam infunderentur de ijs rebus, quarum iam anima in corpore species acquisierat, sed supplerentur tantum, quæ deessent: supponendo ergo per se infusas esse (quod & probabile, neque ad præsens refert) comparatio intentæ fieri potest multis modis, quibus omnibus anima separata melius intelliget, quam coniuncta. Prima comparatio. Anima separata melius intelligit per species acquisite, quam coniuncta, quia est liberior, & lumen intellectus expeditius. Secunda comparatio. Per infusas melius intelligit, quam per acquisite, quia infusæ sunt perfectiores, atq; animæ pro illo statu magis proportionatæ, quam acquisite: effectus ratioabile, ut anima per conversionem ad superiora melius intelligat, quam per conversionem ad inferiora. Unde patet quod separata per infusas melius intelliget, quam coniuncta per acquisite, quæ est vltima comparatio. Itaq; modis omnibus melius intelligit separata.

Franc. Suarez de Anima.

**H**æc quaestio oritur ex præcedenti: omnis enim forma videtur materia, ut melius illi sit, quam si extra corpus maneat, atq; ut melius exerceat operationes suas, animæ vero rationali non sic contingit, potius enim vniò ad corpus illi deterior est, quia impeditur valde ab operatione sua: ergo melius illi est, esse separatam. Secundo animæ status in corpore est contra naturalem eius inclinationem, inclinatur siquidem vehementer ad cognoscendum Deum, & Angelos, & ad perfectè intelligenda omnia: quæ certè inclinatio impeditur in corpore: est ergo ibi violenter, atq; adeo naturale ei est esse extra corpus. Hæc fundamenta coelegantur Platonem in Timæo, Phædro, & Phædone ad dicendum animas nostras non esse existimandas, sicut formas naturales, quæ ideo naturali vinculo vniuntur materiæ, quia earum esse est materiale, & imperfectum, nostras vero esse immortales, & subfistentes, ac proinde quali inuitas teneri in corpore, indeq; egrèdi optare. Ita etiam Auicenna, Metaph. cap. 1. dicens propriam perfectionem animæ nostræ esse, ut describatur in ea forma totius universi, ac fiat seculi intelligibile, corpus vero multum nocere animæ ad hanc perfectionem obtinendam, quam naturaliter desiderat: differt autem Auicenna à Platone, quod non neget esse naturale animæ nostræ in principio vñiri corpori, sed ait esse statum naturalem imperfectum, sicut status pueritiæ homini est naturalis, licet imperfectus, statum tamen separationis esse animæ magis naturalem, magisq; perfectum. Ita quoq; Scot. in 4. dist. 46. q. 1. Non placet autem D. Th. hæc sententia, quoniam essentia animæ tota est ad informandum corpus. Vnde aptitudo, & inclinatio ad corpus omnino est inseparabilis ab illa, & quæ quid huic inclinationi repugnat, præternaturale est ipsi animæ. Quæ de causa in q. 81. ar. 1. scribit intelligere animæ separatae præternaturale ei esse, cum & statum ipsæ præternaturalis sit: licet ad tertium addat, naturale esse, prout distinguitur contra supernaturale. Unde conatur S. Doctor saluare intelligendi modum animæ in corpore illi potiorē esse, quam extra corpus, quæ censuit inconueniens intelligendi modum præternaturale præstare naturali. Verum superius ostensum est, intelligere extra corpus esse melius, sicut integrum manet dubium, ac plane non facile. Nec est mirabile in hęc mirabili hominis compositione difficultatem obtrudi. Nam in materia quoque morali, & naturali gravissima dubia oriuntur ex illa corporis, & spiritus copulatione. Quomodo, inquam, anima nostra spiritalis sit, & corpori immixta, quomodo subsistens, simulq; vere informans, quomodo intellectiva, & sensibus alligata, quæ repugnantiam quandam includere videntur. Ex quibus vterius alia oriuntur salebra in eo potissime fundata, quod humanam compositionem velimus ad modum aliarum compositionum naturalium metiri, quod tamen nec stare semper potest, nec est cur stet, quia si compositio hominis singularis est, & mirabilior alijs, non est mirum, si aliquid ex illa sequatur singulare.

**D**ico ergo primo certissimum esse animam naturaliter vñiri corpori, & hanc esse naturalem conditionem illius. Probat, quia, ut dictum est ex D. Thom. anima essentialiter est forma, omnis vero forma naturaliter informat. Secundo, quia naturalis est, ac maxima perfectio naturæ, quod in sensibili mundo existat homo, propter quem totus fabricatus fuit: consurgit autem homo ex informatione animæ: ergo talis informatio naturalis

T 3 ralis

1. Argum. pro anima separata.

Platonis, & Auicenna sententia.

In quo differt.

Accedit Scotus sententia D. Thomæ.

Quid D. Th. sentiat in præsent.

Quid Scot.

1. Suppositio pro resolutione.

2. Suppositio.

3. Assertio explicans.

4. Assertio explicans varias comparationes circa sensum captivum.